

IN SYMBOLVM APOSTOLORVM

Hebræ. 2. autem crucis. Ecce Iesum gratia dei pro omnibus mortem gustatam atque ideo participatam carni & sanguini, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolus, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Id quod & ecclesia canit: Qui mortem nostram moriendo destruxit. Et propheta Osee ante multa tempora prædixit: O mors, ero mors tua, morsus tuus ero in ferne. Et ideo Christus noui testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioqui nondum valeret dum viuit qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dicitur dicatum est. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur & sine sanguinis effusione non fit remissio. Sed prioris testamenti typi, nimirum diuersa illa hostiarum & holocaustorum genera euauerunt, postquam Christus verus agnus dei, qui tollit peccata mundi, per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum deo viuenti. Oblatus autem semetipsum voluntarie sacrificium deo, sicut scriptum est: Oblatus est, quia voluit, ut vel hoc inter mortem nostram & Christi interitus, quod nostra anima vi morbi, aut humorum defectu a corpore depellitur, sed dominus volens animam suam deposuit, quemadmodum apud Iohannem ait: Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a meipso.

Aug. de fide & symb. **Et sepulchus,** Sepultus est, ut monumentum clausum, resurrectioni ad vitæ nouitatem, testimonium præberet, sicut nascituro vterus vaginalis. Sepultus autem in monumento nouo, e viuo solidoque lapide exciso, ut sicut in hoc monumento nullus alius mortuus sepultus est, nec ante nec postea sic in illo vtero, nec ante nec postea quicquam mortale conceptum est, quanquam & alia pleraque mysteria hæc sepultura complectatur.

Math. 27 Ineffabilis dei pietas erga nos.

Aug. de sym. ad catechu. lib. 2. ca. 6 Iohan. 3. **I**am qui credis Christum passum, crucifixum, mortuum, & sepultum. Et in Christum propter te passum, crucifixum, mortuum & sepultum crede. Audi Christum tuum te aduocantem ac dicentem. Sic deus dilexit mundum, ut filium suum vnigenitum daret, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. O ineffabilem dei misericordiam, quam deus commendat in nobis, quoniam adhuc quum peccatores & impij essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mor-

Roma, 5 tuus